
3 1761 09703598 4

DE

COGNITIONE DEI INNATA

DISSRETATIONEM

AUCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHORUM AMPLISSIMI

PRO

CAPESSENDIS HONORIBUS LICENTIATI PHILOSOPHIAE

DIE XXVII. NOV. MDCCCXLI

PUBLICE DEFENDENDAM

SCRIPSIT

JOANN. HENR. AUG. EBRARD

PHIL. DOCTOR, CAND. MINIST.

ERLANGAE

PROSTAT APUD THEOD. BLAESING.

MDCCCXLI.

1841.

Vix ullam fuisse opinor aetatem, quin illa de cognitione Dei innata quaestio, quam maximi esse momenti inter theologos aeque ac philosophos constabat, praeclarissimis utriusque ordinis viris curae esset. Jam patres ecclesiastici, quum iis gentilium philosophis, qui, *Deum esse*, ἐπιστήμῃ ἀποδεικτικῇ demonstrare conarentur [1]), suam opponerent sententiam: *Deum ab hominibus non cognosci, nisi αὐτοῦ διδάξαντος* [2]), iidem id suum perpetuum judicium fecere: *ἐμφύτως καὶ ἀδιδάκτως animis hominum Dei cognitionem inesse* [3]). Negant igitur, homines ideam numinis simili ratione ex ipsis producere, atque artem aliquam vel ἐπιστήμην humanam. Negant non minus, ita comparatos esse mortalium animos, ut nullum in se haberent, qui ad cognoscendum Deum eos incitaret, quasi stimulum. Utrumque profitentur: *ipsum sese Deum* hominibus revelare, sed in *ipsorum hominum ingenio.*

---

1) Id quidem praesertim *Platonis Timaeo* vitio verti solebat.

2) Clem. Al. strom. V, 588. Orig. c. Cels. VII, 42. Iren. a. h. IV, 64.

3) Clem. Al. strom. V, 612. Tert. apol. c. 17. Arnob. c. gent. I, 33.

Ea quum magis magisque theologorum opinio confirmaretur, plerique omnes id agitabant, ut, ad insitam illam Dei cognitionem provocantes, *argumenta* componerent, quibus, Deum esse, fulcirent. In quo prima illa utilitas erat, ut quaenam sint subobscurae istius „cognitionis innatae" momenta, exploraretur. Secus tamen in eo negotio, qui primi adibant, profecerunt; nam ex illo, quod jam Clemens Al.[1]) et Athanasius[2]) ascenderant fastigio, maturius ii reciderunt, qui argumenta, quae dicunt *physicotheologicum*[3]) et *cosmologicum*[4]) conficerent.

Primus, qui viae novae ac mirum in modum ingeniosae insisteret, fuit Augustinus. Huic enim debetur prima *argumenti ontologici* gloria. Atque ita quidem summus ille inter theologos rem est aggressus. *Vivere*, aït[5]), pluris esse, quam *esse; cogitare* pluris, quam *vivere;* sed et *cogitando* praestantiorem esse *veritatem*, quae *cogitatur* ipsamque cogitandi actionem suis legibus quasi constringit. Ei igitur summum *Esse (höchste Realität)* deberi, eam esse „bonum absolutum". Itaque ideae *boni absoluti* (sive veritatis, sive Dei) attributum *entitatis* vindicat.

Constat, Boethium[6]) et Anselmum Can-

---

1) Strom. V, 588. appellat *τὸ ἐν ἡμῖν αὐτεξούσιον εἰς γνῶσιν ἀφικόμενον τἀγαθοῦ.*

2) C. gent. 30. Provocat ad *τὸν νοῦν· δι' αὐτοῦ γὰρ μόνου δύναται θεὸς θεωρεῖσθαι.*

3) Minuc. Oct. 17 sq. Theoph. ad Autolyc. I, 5.

4) Diod. Tars. *καθ' εἱμαρμ.* apud Photium bibl. cod. 223, pag. 209.

5) De lib. arb. II, 3 sqq.

6) De consolat. philos. V, pr. 10.

tuar.[1]) hanc demonstrandi methodum excoluisse, ita tamen, ut non jam *innata* illa *veritatis agnitio* (sive Dei cognitio) quasi in medium proferretur et in sua disponeretur momenta, sed ut, missam facientes *psychologiam*, ratione *metaphysica* et *mere ontologica* argumenta sua componerent. Inquirebant enim, quid notiones illae mere objectivae *veritatis*, *entitatis*, *summi boni*, *entis absoluti* inter se haberent, non quid homines in ipsorum animis de Deo experirentur.

Atque id quidem ex indole totius *philosophiae scholasticae* quasi consectarium sequebatur. Fieri autem non potuit, quin tota inde quaestionis natura novam formam duceret. Namque nulla ingenii humani ratione habita, satis habebant scholastici, *definire* Dei notionem, proprietates, attributa; tunc demum addebant, esse hominibus facultatem Dei cognoscendi. Itaque, quum *cognitio innata* jam extenuata esset in cognoscendi *facultatem*, eam ipsam facultatem praeter *vim ratiocinandi de Deo* aliquid continere, prorsus ignotum erat[2]). Pro fonte enim, ex quo tota ista Dei cognitio hauriri solebat, revelatio Dei, qualis tum in scripturis ss. tum in ecclesia praesto erat, habebatur. Homines autem quo progredi valerent in exploranda numinis indole, ambiguum erat inter Scotistas, „*quidditativam*“ Dei cognitionem hominibus vindicantes, et Thomistas, qui Aquinate duce contenderent, ad id tantum nos „posse perduci“, ut cognoscamus,

1) Proslogium.

2) Durand. de St. Porc. in Magistr. sent. 1, d. 3, qu. 1. Alex. Hal. summ. I, qu. 2, m. 1, art. 2.

„an Deus est“ et *„quae necesse est ei convenire“* [1]), non ut essentiam ejus penetremus.

Mirum non est, sub finem medii aevi, materiem non principia scientiae amplexi, oblivioni datam esse obsoletam illam *de cognitione Dei innata* thesin. Quae ubi ab ecclesiae reformatoribus est repetita, quum ad „conscientiam“ aeque ac ad „verbum Dei“ provocarent, *psychologicamque* rerum considerationem in integrum restituerent [2]): ansa fuit disceptationis, qua *orthodoxi Belgarum theologi* cum *Arminianis* conflixerunt, ita quidem, ut hi ab insita hominibus cognitione Dei abhorrerent, illi inter atheismi notas ducerent, si quis negarit „lumen naturale ejusque certitudinem, quae omnis cognitionis rerum tam divinarum, quam humanarum est principium elicitivum“ [3]).

---

1) Duns Scot. sent. I, d. 3, qu. 1, art. 1. Thom. Aq. summ. I, qu. 12, art. 12.

2) Calvin. Instit. I, 3, 3. „Hoc quidem recte judicantibus semper constabit, *insculptum mentibus humanis esse divinitatis sensum*“.

3) Gisb. Voët. de atheismo pag. 119. — Idem Arminianis haud male objicit (pag. 170): „Argumentum hoc suum „ex historia vet. et nov. Test. desumtum, quomodo op„ponent illis, qui totam autoritatem scripturarum ne„gant?“ — Defendere solebant *„existentiam* theolo„giae naturalis“ ab Arminianis, *„insufficientiam ad „salutem“* a Pelagianis. Cf. van Til compend. theol. cap. 1, pag. 3. — Contra Limborchius Arminianus (theol. chr. I, 2, 5): „nullam homini ideam esse in„natam, sed intellectum ejus in nativitate tabulae esse „instar rasae“. Ibid. 6: „Notionem Dei nobis natura„liter innatam non credimus“.

Quis non mortalium intelligit, placita illa veritati accedere? Haud parva tamen operis pars etiamtum restiterat. Etenim, ubi totum de Deo dogma a theologis erat confectum et consummatum, tunc demum quasi post festum advocabant illam „cognitionem in-„natam“, scilicet non ut ejus auxilio Deus *cognosceretur*, sed ut *agnosceretur*, quidquid de illo theologis visum erat. Nam quis terrarum tunc temporis eam vindicavit *cognitioni naturali* provinciam, ut factis psychologicis (Thatsachen des Bewufstseyns) innixa ideam numinis exstrueret? Imo id solum isti negotium supererat, ut aut vetera veterum argumenta ontologica de *existentia* Dei prodita repeteret, aut, placitis theologorum de Dei *essentia* integris stantibus, summa cum reverentia profiteretur: „Deum vestrum *esse* „agnosco“. Scientiae igitur theologicae cum cognitione innata ita dispertitum officium erat, ut haec diceret: „*Est* Deus“, illa, quid sub voce „Deus“ intelligendum esset, proponeret.

Quid autem esse poterit evidentius, quam *fictam* fuisse, non revera extitisse, illam, quam dicebant, *innatam* Dei cognitionem? Qua enim fieri ratione potest, ut *innata sit* hominibus ejusmodi cognitio, cujus vel objectum vel potius argumentum (Inhalt) esset *notio quaedam jam disposita ac definita?* (Qualis quidem ista fuisset notio Dei, a theologis jam elaborata, et tunc demum innatae — si diis — cognitioni quasi suggesta.) Imo in eo praestabant Arminiani, quod summa vi iis sese opposuerunt, qui *ideas formatas innasci posse* opinarentur.

Nova deinceps agmina. Cognitioni innatae a scholasticis nihil erat relictum, quam ut agnosceret, *esse*

Deum. Sane, quid sub voce „Deus“ intelligi deberet, jamdudum inter theologos convenerat. At enim illis ipsis temporibus irrupit novus *Cartesianae Spinozisticaeque philosophiae* terror. Qui quum *rebus* inauditis solitum Dei *nomen* imponerent, jam sufficere desierat, ut quis Deum *existere* confiteretur; imo quamnam quisque de Deo sententiam foveret, ante omnia evidentius exprimeretur necesse fuit. Atqui diversae rationes, quibus sibi quisque dogmata vel formulas dogmaticas de Deo *interpretari* solebat, vel *theses ecclesiae objectivas* traducere solebat in suam ipsius *subjectivam conscientiam* (Bewufstseyn), aliunde non poterant desumi, quam *e propriae conscientiae consideratione* i. e. *e philosophia* (nam eo tummaxime illa munere fungi coeperat, ut conscientiam, non ideas mere ontologicas, investigaret.)

Constat vero, inde ab illis temporibus inter philosophos (si *Humium*, *Reidium*, *Beattium* dein *Condillacium*, *la-Metrium*, *Alembertium* ceteros, hoc nomine prorsus indignos, exceperis) id quidem convenisse: Dei cognitionem natura esse hominibus insitam, neque de ea quisquam re videtur dubitavisse: *Deum cognoscere* non esse *existentiam Dei agnoscere*, sed *explorasse quis et qualis ille sit.* In eo autem singuli discesserunt, quod pro se quisque aliam deorum speciem suppeditavit, quum Deum alii tanquam *substantiam*, alii tanquam *ens in se*, alii tanquam *ordinem mundi moralem*, alii tanquam *spiritum in hominum ingeniis se evolventem* definirent.

Sunt interea, quos cum jejunarum idearum, quae Dei loco jactantur, tum totius philosophiae innatam

Dei cognitionem profitentis ita taedeat, ut hanc cognitionem fere prorsus negare periclitentur.

Jam patet, e quaestione *de cognitione Dei insita*, qualis quidem nunc in exploranda Dei non magis existentia, quam essentia, occupatur, universam pendere philosophiam. Quaerere enim de cognitione Dei innata, peculiare aliquod negotium esse desiit; quid quaeso aliud tota philosophia suscepit, quam ut, *quis Deus sit* exploraret, sive ut decideret, an sit *personalis*, nec ne? Hoc autem investigare, quid est aliud, quam ei insistere disquisitioni: an hominum ingeniis a natura insita sit necessitas quaedam interior, qua ad Dei vivi cognitionem quasi sua sponte propellerentur?

Denique, sicuti quaestio illa de insita Dei cognitione non inter peculiaria philosophiae problemata sed pro totius scientiae quasi fastigio quodam est habenda, ita quoque haec *cognitio innata* (sive ille necessitatis sensus) ipsa non unum aliquod ingenii humani *φαινόμενον* (sive vis quaedam peculiaris) haberi potest, ita ut inter reliquas nostras facultates (memoriam, voluntatem, cognitionem empiricam cet.) et illa Dei cognoscendi facultas sit numeranda. Sed ita potius res sese habere videtur, ut universae ingenii vires ac facultates in unam illam Dei cognoscendi necessitatem (non facultatem) tanquam in apicem debeant constringi. Demonstrandum erit, nos non uno aliquo peculiari instinctu ad Dei cognitionem incitari, sed totos esse eos, qui nonnisi Deum cognoscendo justa nostri ipsorum εὐκρασίᾳ frui possimus.

Jam inquisitio nostra ad certum ordinem revocatur. Ita quidem nos comparemus oportet, ut pri-

mum *psychologiae* operam navemus, eo quidem consilio, ut, omnes animae facultates inter se constringendo, certiores fiamus, *an vere adsit illa necessitas interior*, qua homines ad *cognitionem numinis alicujus propellantur* — deinde ut respiciamus, *quale sit illud numen*, quod potissimum necessitudini nostrae psychologicae respondeat (u. u. e. num ad vivum Deum agnoscendum quasi vinculis interioribus cogamur, an ejusmodi Deus, qualem pantheistae profitentur, non minus nobis conducat) — denique ut totam philosophiae historiam tanquam *genesin cognitionis Dei philosophicae*, sive tanquam *evolutionem cognitionis Dei innatae* consideremus, ubi tandem ea quoque quaestio obveniet, *quae sit inter cognitionem Dei philosophicam et cognitionem Dei innatam relatio.*



Prima quidem ea res communis esse videtur omnibus hominibus, ut in mundo collocatos sese reperiant.

Rerum inter se diversarum copiam oculorum, aurium, ceterorum *ὀργάνων* auxilio conspicimus, audimus, tangimus; quid multa, eas ipsas res dignoscendo, *proprietates* iis attribuimus. (Atque hae quidem proprietates rebus sunt *definitiores*[1]) quoad essentiam, *communiores* quoad existentiam.)

Nulla vero harum distinctionum, quas ipsi „abstraxeramus", habita ratione, unamquamque rem nihilo minus separatam videmus ab alia (quoad meram existentiam) ideo, quod alibi est.

Qua igitur ratione, proprietates manumittentes (von ihnen abstrahirend), meras res retinueramus, ita

---

1) Moleste fero, barbaris saepenumero vocabulis, u. u. e. *subjectivus, objectivus, subjectivitas, objectivitas, realis, subsistens, subsistentior (noch realer), vires vitales* cet. me usum esse in hac disquisitione. Quod non temere feci. Sed id mecum reputavi, sermonem Ciceronianum ad recentioris philosophiae subtilitates exprimendas non bene convenire, ita ut novas quandoque *formas* adhiberi oporteat, nisi forte et ipsa philosophiae *argumenta* ad Ciceroniani aevi simplicitatem essent revocanda.

res manumittentes retinemus *intuitionem* (dicere non potui *intuitum*) *spatii.* (Spatium est *differentia absoluta.* In eo constat spatii natura, ut, nulla proprietatum ratione habita, nihilosecius altera ab altera ejus particula distincta sit.)

Denique ea, quae *invicem* vel oculis nostris vel cogitationibus se offerunt, distinguimus. Quae manumittentes, nosque ipsos per omnia, quae videmus et cogitamus, eosdem retinentes, *temporis* ad ideam provehimur.

Non tamen res solas e temporum ac locorum quasi normis judicamus et metimur, sed temporis ideam producendo *jam nosmetipsos a rebus distinguere didicimus.* Atque alii quidem nobis videmur, ubi, quae nos circumdant, *patienter* contemplamur atque quasi animabus nostris recipimus; alii, ubi *voluntate* duce, corporum auxilio, *agimus* et res ipsas commutamus, denique alii, ubi, res *mentis* auxilio considerando vel distinguendo, tam *necessitati cuidam sese offerenti obtemperamus*, legesque in ipsa rerum complexione scriptas sequimur, quam *in nobis agimus* et movemur.

Ita *sentientes*, *cupientes*, *cogitantes* eidem mundo quasi oppositi sumus, *in quo* sumus. Mundum enim non minus *existere* dicimus, quam nos, in mundo versantes [1]).

Quaenam autem est inter nos et mundum relatio? — *Aut voluptate aut dolore afficimur* iis rebus, quas

---

1) En habes statum „*conscientiae mundi*“ quo existentia *subjecto* et *objecto* ex aequo tribuitur. Mundus videtur „*in se esse*“ (an sich seyend) sicut Hegelius rem praeclare expressit.

sentimus; itaque cupientes ea, quae voluptate nos afficiunt, illecebrarum studio ferimur. At illa obstat *infinita mundi magnitudo*, quae impedit, quominus *potiamur* materie. Datur videlicet fatalis ille „in infi„nitum progressus“, neque fines illos invenies, quos ultra mens humana somnia sua non possit prorogare. Obstat etiam *infinita mundi inanitas*. Res rei accedit externo modo; tota vero rerum multitudo et ipsa externo modo quum ad animas nostras (unser Ich) accedat, animae, sibi constantes, abundantia illa non replentur. Iterantur vel eaedem in dies repetitae rerum proprietates, vel eaedem diversarum inter se proprietatum vices. Ita taedio affecti, proinde non ignoramus: *animas nostras mundumque esse* incommensurabiles (ut hoc termino mathematico utar.) Sufficit enim neque *menti* in infinitum progredienti rerum quantitas, neque *studio voluptatis* rerum qualitas.

Ita sese anima (das Ich) *distinguit* a mundo, non solum tanquam unam aliquam inter *res* mundum constituentes[1]) (id quod fecerat in statu conscientiae mundi) sed tanquam *subjectum ab objectis absolute separatum*. Et quum ullo quemquam temporis mo-

---

1) Apparet, *sui conscientiam* dici duplici sensu, nempe eam, quae somno vel syncope interrumpitur, et eam, quam cummaxime copiosius sumus descripturi, et quae aderit, ubi primum *conscius* factus eris prioris illius conscientiae. Illam dicere possumus *empiricam* („sum“), hanc *speculativam*, quae ipsa est a) *innata* („*sentio*, mundum et me esse incommensurabiles“) b) *philosophica* („*cogito*, mundum et me esse incommensurabiles“). — Empiricam a speculativa bene distinctam legis apud Fries, neue Krit. d. Vern. I, 25.

mento hac sui conscientia, qua discrepantiae inter subj. et obj. conscius fit, *plane* destitutum esse negem, concedo tamen illam conscientiam voluptatis studio vel scientiae empiricae occupationibus quandoque reprimi ac fere obrui. Restituitur autem in integrum, et deficiente voluptate, et deficiente mentis occupatione, quum primum animus ad sui cum mundo faciendam comparationem incitatur. Atque tunc quidem *sui conscientia* (scil. *speculat.*) *innata*, quae obscura est et sentitur tantum, commutatur in *sui conscientiam philosophicam* sive *claram*, quae cogitatur menteque percipitur.

Anima autem, qualis nunc est, ea sibi videtur, *quae mundum videat*. Quaerit ipsa, quo ille modo intrare potuerit in ipsam, vel qua ratione objecta uniantur subjecto. Sunt, qui, eo progressi, de solvenda tanti tamque praeclari muneris quaestione desperent[1]. Qui si intrepido animo in itinere pergerent, non jam lateret eos, *objecta nihil esse nisi materiam, ex qua actio subjecti* (i. e. cogitatio) *constat.* Mundus est in me. Sentio, video mundum. Ipse quidem mihi sum *certissimus;* certissima mihi mea videtur existentia. Mundum autem *existere*, pro certo non habeo; nam quod ad objecta, nihil scio, quam *in me esse*, *a me videri*, *cogitari*[2].

---

1) Dualismus intellectualis est, cujus autorem ducimus Friesium.

2) Idealismus, cujus primus Kantius fuit autor. Qui quum probe dixisset, intelligi non posse, quid objectum sit in se ipso, sed tantum, quale appareat subjecto, in eo haesitabat, quod *rei* isti *in se enti* non valedixit,

Universus igitur mundus, nec non meum ipsius corpus *visum est a me*[1]).

---

cujus, quum essentiam ei non posset tribuere, et ipsam negare debebat existentiam. Fichtius autem, qualis primum philosophiam exposuit, in eo superaverat Kantium, ut cognosceret: subjectum nihil valere edicere de objecto, quam *τὸ videri*, non *τὸ εἶναί τι*, non *τὸ εἶναι*.

1) Friesius, quum hujusmodi doctrinae audaciam reformidaret, is non erat, qui eam superaret. Eam enim idealistis opinionem suggerit (neue Krit. d. Vern. §. 11) acsi illi ex eo, quod alias usque omnis activitas objectum suum producat, ratiocinarentur: et ipsa cogitandi activitate objectum cogitatum produci. — Quo nihil esse potest perversius! Abhorrent sane idealistae ab opinione tam insipiente, acsi pro se quodque subjectum objecta sua produceret sive crearet. Imo cardo rerum situs est in notione *existentiae* sive *realitatis*. Quaeritur, an subjectum, *si ipsi soli realitatem tribuat*, etiam objectis realitatem possit concedere. —

Opportunum est, cummaxime addere paullula, quae ad evitandam notionum confusionem aliquid faciant. Etenim notio *activitatis* variarum sententiarum capax est. Namque *sentire* non minus *actio* est, quam *velle* et *cogitare*. Tamen meae rationes ita tulerunt, ut dicerem: sentientes, videntes, audientes nos *pati*, necnon in cogitando nos eatenus *pati*, quatenus necessitati cuidam nobis se offerenti obtemperemus. (U. u. e. simili necessitate, qua solem videre *cogimur*, ubi ortus est, etiam eo ferimur, ut bis duo quatuor esse cogitemus). Alia igitur est *activitas*, quae a vita animae non differt, et quae eadem sibi per omnes sentiendi, volendi, cogitandi rationes constat; alia est *activitas*, qua pro se quisque *sua sponte*, mundique nulla habita

Sed quum ea sibi videatur anima, quae *mundum videat*, et quae mundo *τὸ videri* solum, non *τὸ esse* possit tribuere, ea quoque sibi videtur, *quae mundum velit.* Voluntas non jam electio esse videtur inter res vel voluptate vel dolore nos afficientes, sed in volendo *liberos* nos esse intelligimus. Velle est se ipsum definire. Etenim cur hoc respuo, illud amplector? Nisi, quia in me ipso jam aderat lex quaedam interior et autonomia, quae me, ut alterum eligerem, i. e. ut alterum vellem, impulerat? Velle est *ponere aliquid ac jubere.* Voluntas est *creatoria.* —

At enim eo jam progressi sumus, ut *claudicare idealismum* non jam nos possit latere. — Claudicabat quidem et dualismus intellectualis, ubi et subjecto et objecto realitas tribuebatur, ubi et incertum erat quo illud modo cum hoc uniatur. Conducere videbatur, ut tota existentiae realitatisve summa in unum *subjectum* conferretur; sed mirum in modum eadem ibi ambiguitas oculis obversatur.

1) Subjectum cogitat mundum. Mundus non *est*, sed *cogitatur; est*, quatenus *cogitatur.*
2) Idem subjectum vult, quae placent.
3) *At non omnia, quae in mundo sunt, placent.* (U. u. e. dentium dolores, quos Fichtio objectos esse constat.)

Accipe igitur, grave adesse discrimen inter eam activitatem, qua mundus a nobis *cogitatur*, et eam, qua, quae juvant, *volumus.* In mundo videndo sive

---

ratione aliquid *cupit, vult, ponit.* Illam dicere liceat *formalem*, hanc *materialem.*

cogitando *coacti* sumus et certis quibusdam quasi vinculis constricti (ita ut quis regem se *cogitando reddere* non *valeat*, quantumvis *voluerit).* Contra voluntatis nulla est lex, nisi *libido*, defectus legis.

Tales ergo nunc tres illae animae facultates apparent. 1) In sentiendo (id quod oculorum, aurium cet. auxilio fit) homo mere passivus[1]) est. Percipere cogitur tam injucunda quam jucunda. 2) In volendo sumus mere activi. Quidvis enim evenerit, integrum nobis erit, aut laudare aut vituperare. 3) Denique in cogitando mira illa ambiguitate premimur, quod mundus, quum non nisi *argumentum (Inhalt)* nostrae cogitationis sit, tamen nobis obtrudatur et inculcetur, ita ut alias res cogitare non liceat atque eas, quae ipsae sese quasi offerunt.

Ita in una cogitandi actione conferruminantur duae illae theses, quibus infestius quidquam cogitari nequit: *1) Nos sumus in mundo. 2) Mundus est in nobis.*

Ceterum non *philosophis* solum in cogitandi negotio obvenit illa quaestio, sed eadem contradictio inest etiam rudissimorum hominum animis. Homo mundo ines; natus es, diem obibis; ossibus et carnibus confectus, animal inter animalia versaris. Idem cogitas. Considerando elevaris ad amplissimas ideas; quanta illa est felicitas tua, qua spiritum non pulverem te esse sentis! — Quid tandem de spiritu animali et de animali spiritu fiet? Pudebit spiritum animalis; tae-

---

1) Excepta scilicet illa „activitate formali", quam et sentiendo et volendo et cogitando inesse, supra (pag. 13 not. 1) diximus.

debit animal spiritus. Nemo non mortalium hoc in se dissidium fovet[1]).

Ingens illud habes *αἴνιγμα*, quod solvendum non curiosus tantum philosophorum animus, sed et universum genus humanum summa vi intendebat. Qui in eo omnes convenerunt, ut ad expediendam difficultatem praeter subjectum et objectum *ens aliquod tertium* advocarent, a quo animam cum mundo tam miro modo dicerent esse unitam. Sive id habebant pro fato (sive necessitate coeca, quam esse putarent et regnare) sive interioris animarum evolutionis latentem legem nomine Dei dicebant; sive totum inter subjectum et objectum discrimen duorum deorum aeque oppositorum auxilio explicare conabantur, sive vivum denique Deum amplectebantur.

Constat igitur: inesse animis hominum tam rudium quam doctorum ambiguitatem quandam, quae, solam si subjecti objectique differentiam respexeris, nullo extricari modo possit. Concedas ergo necesse est, tertium aliquod subsistere, quo explicetur illa contradictio.

Id, *quale* sit, vel ad *quemnam* Deum agnoscendum natura propellamur, nunc nobis curae sit.

---

1) Quod non clarius apparet, quam si quis, taedio sui incitatus, ipse se interfecerit. Ibi quum spiritus de se desperavit, tunc eo ipso, quod desperare adhuc potuit, spiritum se esse, ostendit.

Signa referre iis non erit in animo, qui *idealisticae* philosophiae addicti, videndo, percipiendo, cogitando majorem, quam objectis visis, perceptis, cogitatis existentiam attribuerint. Quod si quis infestis sese armis moliretur opponere, ipsam intercedere videremus auctoritatem ingenii humani, quod nunquam poterit profiteri, se aliud quidquam posse de objectis edicere, nisi: illa *videri*, *cogitari*. Sibi animus est certissimus. Ipse est *τὸ εἶναι*. Cetera sunt tantum „ejus respectu“ *(für ihn)*. Stat igitur ea prior thesis inconcussa: Cogitare majorem habet existentiam, quam cogitari.

Sed et alterum invictum stare argumentum censeo: objecta — si *voluntatem* nostram tam temerariam eamque tam imbecillem respexeris — intrudi nobis invitis. Non nostra videlicet decreta sequitur mundus; nobis servorum, non dominorum, provincia videtur relicta. Debilis est nostra voluntas, si comparaveris cum iis, quae eveniunt; rebus ipsis major debetur existentiae laus, quam nostris cogitationibus.

Quod si duae illae theses suam quaeque habeant auctoritatem, hoc unum ex omnibus restat, ut intelligamus, non solum alteram alteri non repugnare, sed et optime convenire inter se. Sane, inquam, objectis eam non existentiam addicere velim, qua *subsistere*

in se ipsis dicerentur, vel qua major iis esset subsistentiae gradus, quam *spiritui cogitanti.* Imo *τὸ Esse* objectorum non nisi *Esse derivatum* est. Cogitata principium et essentiae et existentiae suae habent in cogitante. *At enim singulorum non hominum est spiritus, qui, mundum cogitando, mundum creaverit.* Nos enim non *libere* cogitamus ea, quae cogitamus, sed invenimus, ex quo nati sumus, mundum jam elaboratum. Ergo, siquidem objecta in se non possunt subsistere, sed in enti cogitante, nos autem ii non sumus, qui, libere cogitando, existentiam mundo potuerint impertire, sed ii potius, qui ipsi *in mundo* subsistamus, sequitur: *aliud quoddam esse subjectum,* a quo et nos (subjecta) et mundus (objecta) *τὸ* Esse nostrum acceperimus, atque ita quidem, ut illud subjectum non nostri instar cogitandi tantum facultate mundo esset praestantius, ceterum autem *in mundo* ipsum subsisteret, sed universum mundum simul cum nobis in mundo versantibus *libere* tam velit quam cogitet, *ita ut in eo nullum sit volendi cogitandique discrimen.*

Atque ita illam *derivatam* objectorum existentiam si constrinxeris cum nostra subjectorum *finita* existentia ac potentia, propelleris ad *absolutam existentiam,* quae quum sit existentia absoluta, non potest non esse et absoluta potentia.

Non nimis nobis videmur festinare, si Dei nomen statim *subjecto illi absoluto* imponamus. Superest, ut, Deum et cum mundo et cum nobis comparando, omnia ideae ejus momenta perdiscamus.

Hominibus inest 1) *cognitio mundi.* Sed in lucem prodeuntibus mundus jam *adest;* invenimus eum; non uno quasi ictu quodam universam rerum multitudinem perceptam habemus, sed novas in dies res discentes singula singulis temporibus loca metimur.

Est quoque nobis 2) *voluntas;* nec non membrorum auxilio objecta paullisper commutare valemus; sed et hoc ipsum tardius fit, arctissimisque loci temporisque finibus vires nostrae sunt circumscriptae. Ceterum talem cogimur acceptare mundum, qualis est.

Denique et 3) *sentimus* ea, quae nobis in mundo obveniunt. Sed aliena est potentia, quae, gaudia nostra vel dolores non curans, invitis irruit.

Contra Deus 1) uno quodam ictu universum mundum, tempora, loca omnia *intuetur.* Nihil est, quod ab eo discatur; sed ille, mundum libere cogitans, et cogitando volens, et volendo creans, omnium scientiae vel voluntatis incrementorum prorsus est expers. Quum igitur nihil novum ei obveniat, sibi constans est; non mutatur; tempora cuncta quum intueatur, in ipso temporis nulla sunt discrimina. Omnia sciens ab aeterno, aeternus est ipse.

2) Deinde Deus mundum non invenit tanquam rem ultro subsistentem, sed quidquid subsistit *ejus voluntate* subsistit. Nihil igitur invenies, quod illius voluntati non subjiciatur.

3) Denique Deus mundum *sentit*, sed quum non alienam quasi potentiam quandam invitus agnoscere cogatur, tum potius ipsum se suamque ipsius voluntatem et essentiam in objectis per ipsum subsistentibus sentit.

Itaque *sui ipse est origo*, quum a nemine duxerit existentiam. *Sui ipse est finis*, quum universo mundo libere suaque caussa existentiam (derivatam et finitam) dederit. *In se ipso movetur*, quum, nullius rei ignarus, omnia perlustrando suam tantum intueatur essentiam et voluntatem.

His cognitis facilius ea me probaturum spero, quae de *existentiae* notione vel in promtu habeam, vel leviter jam attigerim.

1) Est sane sua objectis existentia. *a*) Nos ubi res oculis obversantes conspicimus, confiteri cogimur, *esse* mundum, non nosmet ejus esse autores, non nostrae sive cogitationis sive voluntatis auxilio mundum esse productum; imo objectivam ei existentiam inesse, quae praestet prae subjectivis nostris cogitationibus. *b*) At non *ex ipso* hanc habet existentiam. Non quia *objectum* est, existit, sed quum verissimum sit, cogitatum subsistere in cogitante, non minus est verum, ideo *existentiam objectivam* inesse mundo, quod a subjecto absoluto talis *sit cogitatus et constitutus*, qualis est. Existentia ejus objectiva est existentia derivata. Id quod in mundo *subsistentius* (realer) est prae nostris cogitationibus, est Dei voluntas in eo apparens.

2) Duplex est existentia hominis (subjecti finiti). *A*) Quatenus ipse est animal et pars mundi, particeps est ejusdem *existentiae objectivae*, quam mundo deberi intelleximus. Objecta quum simus et ipsi, videmur, audimur cet. ab aliis.

B) Contra, quatenus subjectum cogitandique capax est *a*) altior ei tribuendus videtur existentiae gradus. Per illam existentiam objectivam est *individuum*, per hanc existentiam subjectivam est *persona*. Ideo enim minor est mundi, quam hominis existentia, quia hic *cogitandi facultatis* particeps est. Quum verum sit, cogitantem cogitatis esse subsistentiorem, non minus verum est, hominem mundo esse subsistentiorem. *b*) At enim non ex se ipso hanc habet subsistentiae virtutem, sed ex Deo, qui eum sui spiritus reddidit participem. Accipe, hanc esse existentiam subjectivam, *derivatam* et ipsam.

3) Deus autem omnem in se colligit existentiam. Eum quidem nequaquam „Deum" dicere velim, qui „neque subjectum neque objectum, sed „utriusque esset *indifferentia*". Imo ille manet subjectum absolutum, neque cuidam ignoscam, qui infitiari conaretur, *subjectivitatis* sive *cogitandi* majorem esse existentiam, quam *objectivitatis* sive *τοῦ cogitari*.

Sed enim distinguendum erit hoc *subjectivitatis realis* et *objectivitatis realis* discrimen ab alio quodam *formalis subjectivitatis objectivitatisque discrimine*. Illa realis subjectivitas in eo constat, ut quis *cogitandi facultate praeditus sit* (dafs jemand ein *Ich* sey), objectivitas realis in eo, ut quid non vanis hominum cogitationibus productum sit, sed veritatem substantialem sive *rationalitatem* (Vernünftigkeit) in se habeat. Ita Deo tribuitur et subjectivitas et objectivitas *realis*. Formalis autem subjectivitas

ea est, quam subjectum finitum (homo) sibi addicit, objectis finitis (mundo) derogat. Adest in ea *personalitas*, deest *veritas substantialis* sive *impossibilitas erroris*. Denique objectivitas formalis ea est, qua quid *cogitandi incapax esse dicitur*.

Atqui Deo scilicet non mala illa atque imbecillis subjectorum finitorum subjectivitas formalis inest, cujus ratione habita dici solet: „*Das ist nur subjektiv*, „*es hat keine Realität*", neque mala illa objectorum finitorum objectivitas formalis, qua quid „impersonale" est; sed ita potius res se habere videtur.

1) Deus habet *a) subjectivitatem realem* (cogitandi facultatem, personalitatem) et *objectivitatem realem* (veritatem substantialem, *Vernünftigkeit)*.

2) Subjectivitas formalis sive subjecta finita id commune habent cum Deo, quod et hic et illi cogitant, sive quod objectivitatis formalis sunt expertes. Illud autem inter eos discrimen obversatur, quod *Dei* cogitatio a voluntate, *Dei* voluntas a potentia non est separata, vel quod *Deus* non tantum subjectivitati reali sed et objectivitati reali participat, vel quod *Deus* libere et ab aeterno vult, quae cogitat, et cogitat, quae vult; *homo* autem, quum ipse sit pars mundi, et cogitare cogitur ea, quae invenit, objecta finita, et semper habet, quae nondum didicerit, unde sequitur, errori eum esse obnoxium, illaque *objectivitate reali* (veritate substantiali) carere.


3) Objectivitas formalis sive objecta finita id habent cum Deo commune, quod malae

illius subjectivitatis formalis sunt expertes, i. e. quod „opinionibus subjectivis“ vel „libidine“ non laborant. Namque in iis, quidquid Deus voluit ab aeterno, apparet. Objectivitati igitur reali participant. Atque ita dici potest, objecta subsistentiora esse, quam vanas hominum cogitationes. Eo autem a Deo differunt, quod ille cogitat (subjectivitatem habet realem) illa tantum cogitantur (expertes sunt subjectivitatis realis) [1].

---

1) **D e u s**
habet
subjectivitatem real. unitam *objectivitati reali*
(cogitat — — — — — — — veritatem)

Subjecta finita	Objecta finita
quum participent *subjectivitati reali* (cogitent)	quum participent *objectivitati reali* (quum veritas substantialis in iis appareat)
non: *objectivitati reali* (non universam una veritatem intueantur, ita ut erroribus sint obnoxia)	non: *subjectivitati reali* (quum non sint personalia)
habent: *subjectivitatem formalem*	habent: *objectivitatem formalem.*



Firmiores opinor animos factos, ita ut, ad *Dei vivi* cognitionem homines ingenii indole propelli, persuasum sibi habeant. Non illi certe gentilium vel pseudo-philosophorum dii juvant, quos dicunt *vires* esse *vitales* vel *mundi animam* cet. Illius tantum *subjecti absoluti* idea, cui subjectivitas realis, i. e. personalitas, non minus inest, quam objectivitas realis, i. e. *σοφία* et veritas immanens — sed illius tantum idea apta est, qua compescantur turbae, quibus agitamur. Illa dico dissidia inter duas theses, *στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνυμένας,* quarum utraque certissima nobis est, „*hominem esse in mundo*" „*mundum esse* „*in homine*". Quae quum sint verae, non fictae, eadem scilicet est veritas consectarii: *Deum vivum esse*, nec fieri potest, ut quis, *idea* numinis jam concepta, ad comprobandam ejus *existentiam* se speret aliquid afferre posse, quasi existentia ejus *accederet* ad essentiam, vel quasi non ipsa esset *summa ejus existentia*, qua idea sive essentia ejus componeretur [1]).

---

1) Ad insitas igitur vel *ontologicum* argumentum redigitur. Ubi ad *ideam* Dei, mente subjectiva conceptam, notio *existentiae* accedit, ita quidem, ut, quae ceteris rebus jam tribuebatur „realitas", nunc et ipsi Deo non dene-

Nos vero, quum his nostris argumentis placita nostra satis nobis videamur fulsisse, tamen — si forte id ipsum nonnullis videatur secus — in eo adhuc magno nobis et necessario officio tempus aliquod ponendum existimavimus, ut, *universam philosophiae historiam attentis animis perscrutantes*, ostendamus, nihil aliud eam fuisse, quam quasi iter quoddam, quod hominum animi, sibi relicti, ad investigandam Dei vivi cognitionem fecerint. Cum pro se quemque in ipsius ingenio, tum totum genus humanum in historia sua propelli ad Dei vivi cognitionem, animus est demonstrare. Id autem ante omnia ne negligamus, *duplici modo* inesse nobis grave illud *πρόβλημα*, *duplici modo* solvi posse quaestionem.

Qualiscunque sis, mira illa difficultate premeris, quod tam egenum te *sentis* in mundo, quod idem tam elatus tibi videris quoad spiritum tuum. Hoc *sentire*, omnium hominum est. Alia res est, si cui, *philosopho*, contigerit, ut, animum advertendo illam *στάσιν* interiorem, *clare perspiceret dissidii caussas* (id quod in secunda parte libelli fecisse nobis videmur). — Quamobrem *solvendae* quoque difficultatis duplici homines modo periculum facere solebant. Namque ii, qui *sentiebant* tantum animae ambiguitatem, *phantasiae* auxilio rem tam arduam sese sperabant explanaturos, et ut quisque proxime accedebat veritati, ita in m y t h o l o g i c o illo negotio maxime abhorrebat a polytheismo. Contra ii, qui perspexerunt profundas

---

getur. Nos contra nullam usque *veram* „realitatem“ invenientes, ad Deum, *existentiae principium*, ascendimus.

rerum caussas, *mente* usi ideam numinis exstruere ausi sunt, atque ita philosophica ratione bene vel minus commode rem tractaverunt.

Fines disputationis nostrae prorsus excederemus, si *totius mythologiae* tabulas evolveremus. Ea proferre liceat, quae ad rem collustrandam maxime pertineant. — Polytheismi infimam dicimus regionem. Homo, ad veram sui cognitionem nondum provectus, infantis instar, qui domos, arbores, saxa sui similes vitaque esse praeditas ducit, elementa viresque naturae, quia operantur, pro diis vivis habet. *Se in mundo esse*, non ignorat; rebus, quas conspicit, non perspicit, obstupefactus, non intelligit, se pro sua cogitandi facultate sublimiorem esse universa natura diisque suis ipsis; sed objectis suis quasi immersus haeret.

Altiorem paullisper gradum ascendisse videntur, qui dualismo addicti (u. u. e. Parsi, Manichaei) duo esse principia statuunt. Gravis illius in ipsorum animis discriminis non ignari, quum superare nequeant, explicare student eo, quod duo sint principia sive dii, spiritus cogitans et materia cogitata, infesta sibi ab aeterno, atque ita solvere rem desperantes universum mundum pro pugnae habent loco.

Duae denique sunt rationes, quibus *solvere* cognitum dissidium homines sunt conati. Altera emanatismi, altera pantheismi. Emanatismus (u. u. e. Brahmanismus IV Vedarum, Gnosticismus) memoria tenet, *spiritualitatem sublimiorem esse materia.* Itaque *Deum spiritum esse*, merito profitetur. Subjectivitatem numinis non negat. Negat autem objectivitatem. Emanatistis nulla est rationis (Vernunft) sive veritatis

mundo Deoque immanentis idea; Deus est Ens absolute *transscendens;* essentia ejus in mundo non apparet; imo tota rerum moles, omnisque *materies* a d e p r a v a t i o n e originem duxit. Ita ad dualismum recurrit, neque difficultates solvere callet. Deus est ille, qui, excellens in se ipso, quum mundus ab eo *defecerit*, irreparabiliter sit amissus. — Contra p a n t h e i s m u s (Brahmamimansa, Buddhismus) bonum quum dicat, *quidquid est*, bonitatem non in spiritualitate sed *ἐν τῷ εἶναι*, i. e. *in emergendo et submergendo*, ponit. „*Processus naturae*" bonum est. Subjectivitas subjectorum finitorum et ipsa habetur tantum pro forma quadam, quae in processu illo locum habeat. Quod si hominum adeo negligitur subjectivitas, mirum non est, Deo nullam subjectivitatem attribui. Pantheistarum Deus est *anima mundi*, *sui ipsius inscia*, quae quum objectivitatis realis sit particeps tamen subjectivitate reali omnino careat. — Deus emanatistarum est *mere transscendens;* Deus pantheistarum est *mere immanens.*

Atque haec quidem de *mythologia*· De qua quum bis totidem proferre arduum non sit, arctioribus tamen libelli finibus monemur, ne modos excedamus. Fuisse autem non ignoramus unum aliquem populum, qui *cognitione Dei vivi* esset imbutus, populum *Israel.* Cujus in libris ita fere Dei ideam expressam videmus, ut *ἀνθρωπομορφωμάτων* (quae dicunt) auxilio *subjectivitas* Dei exponeretur, qua ille nostri similis est, deinde ut quasi *corrigerentur* illa *ἀνθρωπομορφώματα*, ubi Deus dicitur ubique esse, locorum potentiaeque finibus non cogi, omnia gubernare, aeternus esse cet., ita ut et imbecillitatis (quo homines premuntur) sensus solatio afficeretur Dei affabilitate, et superbia spiritus

creati, si qua efferre sese conaretur, reprimeretur respectu divinae majestatis.

Sed in eadem gente, quae in *vera religione* florebat, et ipsa philosophica Dei cognitio peculiari modo est exculta. Id in libro *Coheleth* (quem sapientissimo regi Salomoni haud immerito adscribi equidem mihi non temere persuasum habeo) ea ratione factum est, quam ut in libello calamo scripto copiosius exponerem, ab Ampliss. Philos. Ordine potestas mihi nuper est facta. Quamobrem nunc omisso libro Coheleth ulterius mihi progrediendum esse, non dubito.

Digna autem, cujus habeatur ratio, imprimis illa *Brahmanorum* videtur philosophia, quam autores ipsi *jôgam*, i. e. mysticam[1]), sive *sankhjajôgam* vocarunt. Strictum quidem sententiarum nexum in toto *Bᵛagavadgîto* frustra quaesiveris; a deo, vaticinante, non ratiocinante, *Ardschuna* dubius summum sapientiae genus edocetur. Fulgura vides luminis divini per tenebras coruscantia, non dispositae auroram doctrinae. Et primum quidem heros ille a deo magistro accipit, res visibiles esse *μὴ ὄντας* (*asat*, ab *a* priv. et *sat*, partic. verbi *bᵛu*, esse). Nam quum deus, cum Ardschuna colloquens, in eo esset, ut ad animum ejus corroborandum immortalitatem animae demonstraret, ostenderetque, virum con-

---

1) *Jôga*, a *judsch* jungere. Proprie: *junctura*, deinde junctura mystica cum Deo, i. e. philosophia mystica. (Non bene a Boppio per „meditatio" redditur. Contra cf. *Bᵛagav.* II, 48: samatvanjôga utschjatê, *τὸ „sibi „constantem esse" joga appellatur"*; constantia autem animi describitur tanquam similitudo atque adeo communio Dei.)

stantem voluptatibus doloribusque omnino non commoveri[1]), addidit, ut rem confirmaret: *non-entis* nullam esse *existentiam (bvâvam)*, solum *ens* existere; ubi monendum, voci „*sat*", ens, saepissime inesse sensum: *bonus, a, um.* Eam habes sententiam: materies vocatur *res non-ens*, anima *res bona et subsistens.* Ex eo, quod huic tantum existentia sit, efficitur, destrui eam non posse per elementa. — Ubi ita exposuit, spiritum corpore praestare, pergit sloc. 17:

„*avinâshitutadviddhi jênasarvamidantatam*
„*vinâshamavjajasjâsja nakashtschitkartumarhati*"

i. e. „*Indelebilis autem (id accipe) is est, a quo* „*id omne expansum est; interitum hujus interi-* „*tus-expertis nemo provocare potest.*" Edocemur, *Deum*, qui res locorum finibus circumscriptas creaverit, ipsum esse *non-expansum* expertemque interitus. Ideam vides ejus subjecti, quod *mere-subjectivum mundoque omnino non immersum* sit, ita ut totus in eo mundus, ipse nullo modo sit in mundo. (Cf. IV, 14, ubi deus loquitur: „non me res polluunt, non operis fructus desidero. Talem me qui cognoverit, rebus „gerendis et ipse non *ligatur*" (a *bandh* ligare). Libere Deus agit, ita, ut, quidquid faciat, ipsum non vinculi instar constringat.)

---

1) II, sloc. 14 sq. „Elementorum-contactus (*mâtrâsparshâs* a *mâtra* elem. et *âsparsha* contactus) „autem, o Caunteja, frigus, calorem, gaudium, dolorem dantes, incipientes et finituros, non aeternos — hos tolerato, „o Bvârata. Quem enim non dolore affligunt constantem virum, o praeclarissime, doloris gaudiique vices, „is immortalitati (*amrtatva*) conformatur".

Porro non latuit sapientes illos Brahmanos, differre subjectivitatem realem numinis a subjectivitate formali hominum. Nam quum deus (II, sloc. 20 cf. 24) celebretur tanquam aeternus *shâshvata* (a *shashvat* semper), et sibi constans (*sthânu*, a *sthâ* stare) et immobilis (*atschala*, a *tschal* moveri) et is, cujus vita non pendeat e corpore quodam, homines vocantur miseri, mobiles, sui impotentes, qui, nisi deo uniantur, bonitati et εὐκρασίᾳ participare non possint (cf. II, sloc. 58—72; III, 34 sqq.; IV, 14.)

Jam *Graecos* respiciendos esse existimo. Quos inter ubi primum Thales, Zeno, Heraclitus certam quandam sapientiam in rerum natura apparere intellexerunt, Anaxagoram differentia inter subjectivitatem formalem et objectivitatem formalem non latuit: a Platone atque Aristotele philosophiae Hellenicae admirabile opus consummatum est. Plato quidem Deum tanquam *objectum absolutum* (non *subj. abs.*) cognovit. Namque eo autore sunt *ideae aeternae*, quas aequiparare res visibiles incassum ὀρέγουσι. Conspicitur ergo in mundo nostro mirus quidam alterius mundi splendor reflexus. Vera autem existentia non rebus visibilibus debetur, sed τὸ καλοκἀγαθόν (i. e. ipsa idearum quasi essentia) est τὸ ὄν. Ecce Deum, mundi nostrique principium et creatorem, quem tamen ipsum sui esse conscium Plato concepisse non videtur. Etsi enim cognomenta „ὁ δαίμων“ vel „ὁ δημιουργός“ vel ὁ θεός“ nonnunquam in eum confert, eo potius fecisse consilio videtur, ut cogitata sua his *imaginibus* explicaret, quam ut *personalitatem* numinis rationibus philosophicis effecisset. — Sunt moderationis, virtutis, sapientiae, justitiae ideae, quas et

apparere in rerum natura et *apparere debere* in subjectis (finitis) ille censet. Is ejus est Deus, nempe *objectum absolutum*, cui praeter subjectivitatem realem nihil deest. Alteram igitur iste verae Dei cognitionis partem cognoverat.

Altera reservabatur Aristoteli. Is minus in sublimi numinis cognitione occupabatur[1]), quam ut,

---

1) Ubi Dei mentionem facit, *vario* eum modo describit. Namque *de coel.* II, 3 numen tanquam *anima mundi* consideratur [ἕκαστόν ἐστιν ὧν ἔργον ἐστὶν, ἕνεκα τοῦ ἔργου. θεοῦ δὲ ἐνέργεια ἀθανασία· τοῦτο δέ ἐστι ζωὴ ἀΐδιος· ὥστε ἀνάγκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν. ἐπεὶ δὲ ὁ οὐρανὸς τοιοῦτος — σῶμα γάρ τι θεῖον — διὰ τοῦτο ἔχει τὸ ἐγκύκλιον σῶμα] neque ea multo differunt, quae *metaph.* I, 2 leguntur. Ibi quum poëtae invidum Deum fingentes repulsam tulissent, ipse Deus is describitur, qui nulla re, nisi τῶν ἐπιστημῶν, egeat. [Poëtis objicit: ἡ γὰρ θειοτάτη καὶ τιμιωτάτη· ἥντε γὰρ μάλιστ᾽ ἂν ὁ θεὸς ἔχοι θεία τῶν ἐπιστημῶν ἐστι scil. χρεία·] Atque id quidem Platonicae isti sententiae accedere censeo, ubi Deus veritas esse substantialis habetur. Sed Aristoteles addit: ὅτε γὰρ θεὸς δοκεῖ τὸ αἴτιον πᾶσιν εἶναι καὶ ἀρχή τις. Similiter Deus *metaph.* 12, 6 primus movens vocatur, cujus virtute mundus et existit et subsistit, ita tamen, ut illud primum αἴτιον sui conscientia vel personalitate omnino careat. Namque moveri in se negatur, *de mor.* VII, 15 [διὸ ὁ θεὸς ἀεὶ μίαν καὶ ἁπλῆν χαίρει ἡδονήν· οὐ γὰρ μόνον κινήσεώς ἐστιν ἐνέργεια, ἀλλὰ καὶ ἀκινησίας, καὶ ἡδονὴ μᾶλλον ἐν ἠρεμίᾳ ἐστὶν ἢ ἐν κινήσει.] Neque id, quod *ibid.* 1 legimus [καὶ γὰρ ὥσπερ οὐδὲν θηρίου ἐστὶ κακία οὐδὲ ἀρετή, οὕτως οὐδὲ θεοῦ· ἀλλ᾽ ἡ μὲν τιμιώτερον ἀρετῆς, ἡ δὲ ἕτερόν

psychologiae incumbens, relationes logicas inter *subjecta finita* et *objecta finita* investigaret et ad pernoscendam subjectivitatem formalem et objectivitatem formalem mira afferret. Negari vero non potest, *dualismo intellectuali* hanc esse Aristotelis philosophiam haud alienam[1]). Quae quum in medii aevi theologos dominaretur, fieri non poterat, quin illi scholastici Deum suum, quem ab ecclesia acceperant, non cogitando invenerant, pro Ente nostri quidem simili, sed *mere transscendente* haberent, cujus ad ideam alio non modo homines possent pervenire, nisi proprietates hominibus convenientes aut Deo derogarent („via privationis") aut infinito modo illi tribuerent („via positionis, sive eminentiae").

Similis, atque a scholasticis Aristoteli, Platoni exinde honor est tributus. Nam inde a Telesii, Cardani, Bruni, Campanellae temporibus

---

τε γένος κακίας] cum Deo vivo convenire dicam. Id quidem et ipse nego quadrare, si quis „virtutem Dei" efferre velit, sed alio sensu, atque Aristoteles. Is enim ex aequo agit cum *Deo* et cum *bestiis*. Unde colligimus, eo autore *eodem modo elatum esse numen ultra regionem personalitatis, quo bestiae ea inferiores sunt dicendae.* Cui ego: interesse Deo cum hominibus *similitudinem*, quae bestiis deest, nempe ipsam sui conscientiam quam diximus speculativam. — Denique quid de loco *de Mundo* 6 dicam, ubi idea numinis imagine regis Persarum collustratur, non habeo.

1) Itaque Deus Aristotelis est *vis ista mere transscendens*, nempe ἀρχὴ κινήσεως, vel *αἴτιον πρῶτον*, quae incipit seriem caussarum (Caussalreihe) non evolvitur in ea.

eo certe negotio philosophia occupabatur, ut „mundo rationem inesse“ confirmaret; atque id quidem, quid est aliud, quam Platonis illud *objectum absolutum*, denuo explicitum et expositum? Non novum est, Telesium cum aequalibus Thaleti sociisque aequiparare; simili modo Cartesius, Spinoza, Leibnitzius mihi quidem nihil aliud videntur fecisse, quam ut illud Platonis *πρόβλημα*, quo *rationem* (Vernunft) *mundo immanentem* intelligere studuit, solvere conarentur. Quod quo fecissent modo, quum copiosius sit, quam ut accuratius hic locorum exponeretur, non ausus sum non, quae de ea re in promtu habeam, in thesibus meis quam brevissime poteram proferre.

Tempus est, ut ad recentioris aevi philosophos recurramus. Sunt, qui in *dualismo illo intellectuali* capti haereant. Quos inter praeter Friesium supra laudatum unius Bretschneideri rationem habere proposui. Is autem (Dogm. ed. 3, tom. I, pag. 9) his verbis utitur: „*Jene Duplicität* (qua homo se animal simul et spiritum sentit) „*ist die gegebene Form des* „*Bewufstseyns*, *und darum ihm ebenso wesentlich*, „*als die Formen des Raumes und der Zeit dem Ver-* „*stande*“. Qui dum in hac „duplicitate“ adhuc acquiescens omnem philosophis, quem inde a Kantii temporibus impenderunt, laborem condonet, nos potius meminerimus, vestigiis Kantii, qui videret, subjectum de objectis suis nihil posse edicere, quam „*tales* a „me videntur“, magnum illum virum, Fichtium, institisse, qui quum, dicendo: „*videntur* a me“, *idealismo* primum prorsus fuisset addictus, postea ita sese ipsum suamque emendavit philosophiam, ut primus

omnium intelligeret: *existentiam deberi neque subjectis finitis neque objectis finitis, sed subjecto absoluto (absol. Ich)* a quo et subjecta et objecta suam ducerent originem.

Tamen subjectivitatem tantum Dei realem, non objectivitatem cognoverat. Eo usque Hegelius pervenire conatus est. Illo enim duce existentia tribuenda est spiritui, sive scientiae (dem Wissen) ipsam sese evolventi. Quidquid est, sive res visibiles, sive cogitationes nostrae, ideo rationi participant, quia *ratio in et pro se ens* sive *scientia absoluta* in iis versatur et quasi nascitur. Quidquid est, ratio est. Omnis existentia non singulis rebus vel subjectis, sed rationi, quae apparet tantum in iis, est addicenda. — Sed quum *objectivitatem realem Dei* (non subjecta, non objecta, sed objectum absolutum, i. e. veritatem substantialem, revera existere) probe intellexisset, in eo aberravit, quod *subjectivitatem absolutam* neglexit. Accipe, quid mihi velim. Magnum illud inter subjectivitatem form. et objectivitatem form. discrimen, cui innixi nosmet ad ideam ejus Entis, cui et objectivitas et subjectivitas realis inest, recta pervenimus, pro *forma* tantum *non reali* habet, atque ita Deum „subjectum" appellare haesitat, quod subjectivitatis aliam non novit notionem, quam falsam illam mereque formalem subjectivitatem, quam dicimus, si *„von subjektiven Meinungen"* loqui solemus.

Itaque in *logice* sua investigare proposuit, qualis sit ratio (Vernunft), non quae in subjecto qua subjecto, neque quae in objecto qua objecto sit, sed ea, *quae eadem utrique insit.* Neglexit, tam essentiale esse subjectivitatis objectivitatisque discrimen, ut praeter *meram for-*

mam rationis, i. e. ***sermonem hominum*** (quo et subjecta et objecta amplecti et describere solemus) nihil in subjectis et objectis par sit. Neglexit, id ipsum esse inter propria „veritatis substantialis" sive „rationalitatis in se entis" momenta, ut rationalitas *alia* in subjectis, *alia* in objectis appareat. Hoc sane rationale rationis (Vernunft) est argumentum (Inhalt), quod ipsa ita sese dirimit. Tolle discrimen, nihil supererit nisi forma inanis. Neque poteris explicare, quomodo objectum a subjecto cognoscatur[1]) (id quod

1) Sed enim in eo Hegelius erravit, quod ambiguas vocis *objectum* sententias non probe distinxit. Duplici enim modo voce *objectum* utimur. Primum *subjecta*, i. e. personas, sive entia mente praedita, distinguimus ab *objectis*, i. e. rebus materialibus. Tum vero in eum sensum vocem *objectum* accipimus, ut, quidquid cogitationibus nostris subjicitur, hoc nomine vocemus; atque ita ipsae nostrae cogitationes subjectivae *objecta* fieri possunt cogitandi. — Difficile non est, videre, priorem usum convenire cum illa nostra „objectivitate formali", quam objectis cogitatione carentibus attribuimus; alterum applicari nostrae „objectivitati reali" cui quidquid aliquam in se veritatem habet (itaque ipse Deus humanaque mens non minus, quam res materiales) participat. — Atqui eo usque censeo nobis progrediendum esse, ut moneamus: *objecta cogitationis nostrae* (i. e. objecta quoad objectivitatem realem; sive veritatem *cognoscendam*) esse tam subjecta (= personas) quam objecta (= res cogitandi non capaces, i. e. objecta quoad objectivitatem formalem). Vel, quod idem est: Ratio, sive veritas substantialis in rebus visibilibus non minus apparet, quam in entium rationalium ingeniis. Vel: subjectivitatis (formalis) et objectivitatis (form.) discrimen in se ipsum est *rationale*.

vera esset logica) sed tantum, quae sint formae veritatis, quatenus neque intelligit, neque intelligitur. Restat igitur *historiola quaedam notionis Esse*, quae modo pro subjecti finiti modo pro objecti finiti existentia usurpatur. Ita „*processus*“ infinitus evenit, quem ille non per duo tantum, sed non minus commode per viginti volumina potuit prorogare.

Sequitur 1) maximam tali philosophiae, quae in ambiguitate vocis *Esse* versatur, inesse *verborum licentiam*. (Quae tanta est, ut ille vir, interiorem notionis motum exponere pollicitus, *terminis tropicis* abundet, ut utar: „sich dirimiren, sich in sich zurück„nehmen, aufheben, in seinen Grund zurückgehen, „es kommt hervor, setzen, Gegenstofs“, deinde ut e ficta etymologia vocis „urtheilen“ sensum vocis derivet cet.)

Sequitur 2) *ingenium humanum* („der gemeine „Menschenverstand“) quum discrimen inter subjectivitatem formalem et objectivitatem formalem sibi temere subtrahi merito non sinat, male ab Hegelio audire.

Denique 3) in fine logices illius nomen quidem „ideae absolutae“ vel „scientiae absolutae“ adesse. Sed si, quaenam illa sit, interrogaveris, portentum quoddam conspicies, quod neque subjectum, neque objectum, neque ratio utrique inhaerens est, sed: „*me„thodus absoluta*, *quae ipsa se intelligit*“ (scilicet quae se intelligit tanquam methodum absolutam, quae ipsa se intelligit tanquam methodum cet. cet. Nam nullus ibi finis).

Atque haec ratio, qualis *neque* in subjecto *neque* in objecto est, *Dei* nomine celebratur. Ipsa autem

non est *materialis* (hat keinen Inhalt) nam qualis praedita esset certo argumento (Inhalt), *alia* esset in subjecto atque in objecto. Sed est *mere formalis.* Forma autem neque forma *subjectivitatis* neque forma *objectivitatis* est, sed forma, qua . . . . notiones quaedam, quibus Germani utuntur, alia in aliam transeunt.

Sagacissimam fateor methodum esse, qua ab Hegelio ille notionum lusus exponitur. Falsum in tota ejus logice nihil invenies, quam placitum illud fronti impositum: „rationem, qualis eadem sit in subjecto „et in objecto, esse *Deum.*" —

Aliam viam instititit Schellingius, qualem pridem se exhibuit. Quum Fichtius solam urgeret realem objectivitatem, ille duas res perspexit: 1) illam *objectivitatem realem* (quam ipse quidem hoc cognomento nondum vocavit) *tam in subjectis* (finitis) *quam in objectis conspici*, vel ut ipse rem solebat exprimere: rationalem esse et mentem (polum idealem) et naturam (polum realem) et discrimen, quo distinentur; 2) Deum non eodem, quo nos, modo sentire, velle, cogitare, sed aeterna ratione, vel ut aliis eandem terminis rem exprimam: Deum non eodem, quo nos, sensu *subjectum* esse (non *subjectivitati formali* participare) atque etiam minus esse *objectum*, quo sensu objecta finita ita dicuntur.

Sed quum lateret eum, aliam superesse *realem* et subjectivitatem et objectivitatem, vir ille ex eo, quod *formalem* subjectivitatem et objectivitatem derogandas Deo censuerat, collegit: *Deum esse neque subjectum neque objectum, sed utriusque indifferentiam.* Id quod approbare non potui. Nam quum verum sit,

Deum inter objecta finita et subjecta finita quasi *in medio versari*, a vero tamen declinaverit, si quis *neque* subjectum eum *neque* objectum dicet. Negando utrumque nihil jam reliquum habebis. Si subjectivitatis formalis et objectivitatis formalis discrimen aliquam in se habet rationem, sequitur, hoc discrimen in ipso numine aliquo modo cogitari debere, non discriminis instar, sed ita ut *duo poli uni Deo* addicantur, atque ut ita sit „concretus in se."

Si vero *unita erit* cum subjectivitate objectivitas, atque id quidem aeterno et inseparabili modo, quid censes eventurum? — *Subjectivitas, ubi unitur objectivitati, desinit esse subjectivitas formalis.* Remanet bonum, i. e. personalitas; detersa est infirmitas, i. e. capacitas erroris. Itaque e subjectivitate formali per unionem cum objectivitate fit subjectivitas realis. — *Objectivitas, ubi subjectivitati unitur, desinit esse objectivitas formalis.* Remanet bonum, i. e. veritas et rationalitas, detersa est infirmitas, i. e. cogitandi defectus. Itaque ex objectivitate formali per unionem cum subjectivitate fit objectivitas realis. Ita autem absoluta est cognitio Dei philosophica. Hanc igitur ad Parnassum quasi coelestem semitam, quae ab omnibus hucusque philosophis intendebatur, *ipsa philosophiae evolutione fere ostensam esse*, facti sumus certiores. Atque ita confirmatur, quod supra nobis visum erat: insita illa ambiguitate interiore homines revera propelli ad cognoscendum Deum vivum. Est ergo innata Dei cognitio. Quippe *omnes* homines, quemcunque gradum doctrinae sint consecuti, sensu quodam necessitatis ad illum Deum cognoscendum incitantur. Atque

ita *timor Dei* principium est *sapientiae.* Philosophia autem Dei cognitionem neque producit, neque porrigit indoctis, sed si illa jam in philosophorum animis *(Herzen)* adest, ea philosophiae provincia relinquitur, ut illam psychologiae incumbens ad summam perspicuitatem, firmitatem, claritatem perducat, et ut demonstret, illam cognitionem, quae *adest*, *necessario* adesse. Quod si demonstratum erit, commutabitur *innata Dei cognitio* in *cognitionem Dei philosophicam*, cujus ad cognitionem innatam eadem fere est relatio, quam *ethices* ad *conscientiam moralem (Gewissen)*.

THESES.

1.

Omnis philosophia a psychologia *incipienda est.*

2.

Psychologia *a phaenomenologia animae, quo sensu* **Hegelius** *hac voce usus est, non differt.*

3.

Psychologia, subjectivitatem formalem considerando, ad ideas tum objectivitatis formalis tum subjectivitatis objectivitatisque realis provehitur.

4.

Si quis negat, esse innatam Dei cognitionem atheus est.

5.

Si quis existentiam Dei demonstrare periclitatur, operae pretium non facit.

6.

A certo quodam principio qui philosophiam orditur, philosophus esse jam desiit.

7.

Principium philosophiae non est dubitatio,

8.

neque scientia (sive inscientia) absoluta,

9.

sed defectus absolutus sive copia absoluta (quod idem est).

10.

Logice *occupatur in pernoscenda objectivitate reali (sive rationalitate substantiali) quatenus illa in discrimine subjectivitatis et objectivitatis formalis apparet.*

11.

Consummatur in aesthetica, sive scientia pulchritudinis.

12.

In intuenda venustate subjectum finitum et objectum finitum, mere opposita, absolute adunantur.

13.

Ethices *est, investigare objectivitatem realem (sive rationalitatem substantialem) qualis in personalitate apparet.*

14.

Eam igitur ethice provinciam obtinuit, ut, quae inter subjecta finita et subjectum absolutum unio aut sit aut esse debeat, investigaret.

15.

Deum amare est Deum cogitare.

16.

Deus non mentis sed universae animae auxilio cogitatur.

17.

Quum naturâ omnes ad cognoscendum Deum propellamur, voluntatis est vitium, si quis Deum non diligit.

18.

Innatam hominibus esse pravitatem, non e psychologia, sed ex historia conjicimus.

19.

Educatione opus est, ne conscientia moralis suffocetur.

20.

Educatoris non est, liberos bonos reddere, sed operam dare, ne unquam legis innatae obliviscantur.

21.

Si quis munus educatoris obtinuerit, ante omnia sibi constans sit oportet.

22.

Si quis in nimia mansuetudine constans sibi fuerit, plus proficiet, quam qui mutabilis est in majore severitate.

23.

Menda impunita dimittere, nullo modo licet.

24.

Exemplo Dei, peccatoribus ignoscentis, male se tuetur, qui liberis menda condonat.

25

Quam magna sit clementia Dei, is potissimum aestimabit, qui, quam sancta lex sit, didicerit.

26.

Is est finis, quem in educandi negotio petere debemus, ut liberi educandi certiores fiant: legem esse.

27.

P h y s i c e s p e c u l a t i v a *occupatur in exploranda objectivitate reali (sive rationalitate substantiali) quatenus objectis finitis inest.*

28.

Nullum igitur ei quasi curriculum sive methodus praescripta est.

29.

Voci illi C a r t e s i a n a e: *„Cogito ergo sum" idealismus non inest.*

30.

Nihil illi animus erat dicere, nisi rationalitati, non materialitati, deberi nomen realitatis.

31.

In eo rationalitatem mundi positam censuit S p i n o z a, *ut differentia adsit inter subjectivitatem et objectivitatem.*

32.

Contra L e i b n i t z i u s *non in discrimine abstracto sed in entium concretorum varietate rationalitatem mundi quaesivit.*

33.

Majore in dies necessitate urgemur, ut l i n g u a m S a n s c r t a n a m *non solum in elaborandis disquisitionibus philologicis, sed etiam in excolenda juventute respiciamus.*

34.

Si quis linguam Graecam pernoscere studet, non minus cognitione linguae Sanscrtanae indiget, quam, qui Hebraeorum sermonem perdiscere vult, linguae Arabicae rationem habere cogitur.

35.

Lingua Arabica, quum inopia quadam atque tarditate laboret, summam copiam agilitatemque appetit.

36.

Lingua Sanscrtana opulentiam suam, qua tam in formis quam in constructionibus abundat, spernere ipsa videtur.

37.

Altera A r a b i s c e n i t a e, altera B r a h m a n o p o e n i t e n t i aequiparari potest.

38.

Libris Geneseos et Danielis destituti historias generis humani intelligere non possumus.

39.

In M a t s j o p a k h j a n o, episodio Mahabvaratae, haud leve nobis argumentum exstat, quo authentia et axiopistia Geneseos fulciatur.

40.

Tib. G r a c c h u s sapientiae et justitiae laude, qua solet efferri, prorsus indignus fuit.

41.

Eodem, quo P e t r u s E r e m i t a flagravit, nos quoque passagiorum studio incitari debemus.

42.

E r a s m u s ***quare tam ambiguum se gesserit in L u t h e r u m, intelligi non potest, nisi investigatum fuerit, quid inter eundum et Z w i n g l i u m intercessisset.***



TYPIS OFFICINAE ACADEMICAE ADOLPHI ERNESTI JUNGE.